



**Augustinianum Systema De Gratia Ab Iniqua Bajani, Et
Janseniani Erroris Insimulatione Vindicatum, Sive
Refutatio Librorum Quorum Titulus Bajanismus, Et
Jansenismus Redivivi In Scriptis PP. FF. ...**

Bellelli, Fulgenzio

Monachii [u.a.], 1749

§. IV. Gratiam, aliaque dona supernaturalia Augustinianus Theologus
agnovit in prima Angelorum & hominis conditione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83723](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83723)

§. IV.

Gratiam, aliaque dona supernaturalia Augustinianus Theologus agnovit in prima Angelorum & hominis conditione.

SUMMARIUM.

1. & seqq. Bellelli agnovit in prima Angelorum, & hominis conditione gratiam, & dona supernaturalia; non verò Bajus.

Sententia
Baji circa alia
dona supernaturalia
primi hominis.

IN sensu Baji primus homo neque supernaturalibus virtutum habitibus donatus fuit, ut Deum *supernaturaliter* coleret; neque indigebat auxilio gratiae *supernaturalis* ad servandam legem, & ad beatitudinem consequendam.

1.
Sententia
contraria
Bellelli ostenditur
primò.
De statu creat. rat. pag.
108. & 109.

Secus in sententia Fulgentii Bellelli; qui de statu creat. ration. libro I. cap. 2. amplectitur & probat sententiam Estii in 2. dist. 25. docentis justitiam originalem fuisse aggregatum plurium habituum, atque virtutum: inter hos habitus priori loco gratiam sanctificantem, deinde virtutes ceteras, quae in animo sedem habent, enumerat; affirmatque Bajum falso originalem justitiam totam naturalem complementum esse, naturalia munera appellando gratiam sanctificantem & virtutes infusas.

2.
Secundò.
Ibid. p. 145

Demonstrat item in altero libro, Angelos & Adam sine gratuito adiutorio in collata sibi metipsis primæva rectitudine, etiamsi voluissent, non potuisse perseverare, de ejusdem adiutorii qualitate, ejusque discrimine ab illo, quod in hoc mi-

seriarum statu implorandum est, magna eruditionis, & argumentorum copia pertractans.

Neque ob aliam causam censet statum naturæ, quam puram dicimus, impossibilem, nisi quia creatura rationalis tenetur Deum in quolibet statu super omnia diligere, id vero non posse sine gratiae adiutorio, putat rem esse in Augustino exploratissimam; & quia ad visionem Dei, quæ summa gratia est, sine gratia pervenire potest nemo.

Agens rursus de statu puræ naturæ in Opere de modo Reparati. lib. IV. cap. 17. idcirco lege quadam justitiæ, non autem ut sequelam creationis, aut naturæ partem vel proprietatem, gratiam Adamo fuisse debitam asserit; propterea quod lege sua Adamum Deus, sicut & posteros, ad credendum, sperandum, ipsumque super omnia diligendum, ad perseverandum in bono, ad celestem denique beatitudinem per merita comparandam, obligaverat: quæ omnia absque donis supernaturalibus haberi nequeunt.

3.
Tertio.
Ibidem lib. 2.
p. 260. 408.

4.
Quarto.
De modo Reparati.
pag. 210.

§. V.

Idem Theologus dona Adæ collata gratiam proprie dictam fuisse commonstrat.

SUMMARIUM.

1. & seqq. Bellelli agnovit in Adamo gratiam proprie dictam, quod non fecit Bajus.

Mens Baji
circa gratiam proprie
dictam primi hominis.

DEMUM in sensu Baji dona primo homini collata Pelagiano sensu dicuntur gratia, id est, quomodo non improbanda ratione gratia appellantur ipsa natura, in qua conditi sumus, ejus facultates, & cætera creationis munera.

Verum enimvero Fulgentius Bellelli de gratia, quæ naturæ limites transcendit, agere se declarat absque ulla ambage verborum. Ratio enim dicitur (inquit de modo Reparati. lib. IV. cap. 18.) *supernaturales, seu salutares actiones semper, & in quocunque statu super naturæ vires*

1.
Huic contrariatur Bellelli primò.
Ibid. p. 113.